



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXXIV. De Jure benedicendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

voceque nostrâ hortatur, ut antiquam visitandi nos consuetudinem repetatis. Munuscula etiam sibi invicem mittebant per epistolas, uti apparet ex Ivonis Carnotensis epist. 6. & Fulberti epist. 5. Sed tales epistolæ ad communes pertinent & vulgares, de quibus ut agamus, non fert nostrum institutum.

CAP. XXXIV. De Jure benedicendi.

I.

Benedicendi ritus in Ecclesiâ Christianâ antiquissimus, & ex Judæorum solennitatibus receptus, imò à DEO ipso in Veteri Testamento præscriptus est. Sic enim se habet formula divinitus præcepta *Nam. VI, 24. Benedicat tibi Dominus & custodiat te: Offendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad Te & det tibi pacem.* Nec dubito, formulam hanc adhibitam fuisse tùm præcipuè, quando peracta fuerunt sacra & dimittendus esset cætus. Erat verò benedictionis insuper usus etiam inter privatos, qui vel accedendo vel recedendo optima quæque precabantur sibi invicem, suumque affectum ita sibi testatum faciebant. Erantque salutationes, quibus sese mutuo excipiebant, nihil aliud, quàm benedictiones, & bona verba in vota & omnis prosperitatis ad precationes desinentia.

II. In Novo Testamento non tantùm Christus ipse laudabilem hunc ritum continuavitque retinuit, sed etiam Apostoli. Christus nempe post resurrectionem, cum apparuisset discipulis, pacem eis precatus est, *Luc XXIV, 36. Johan. XX, 19. 21. 26.* Apostoli autem in primâ suâ Epistolâ, cujus mentio fit *Actor. XV, 23.* vocabulo *Χαίρετε* usi fuerunt, quæ ipsa formula etiam in Jacobi epistolâ invenitur *cap. I. v. 1.* Et fertur Cleon primus in epistolis *Χαίρετε* usurpasse, uti referunt Lucianus *pro Lapsio in salutando*, & Laërtius in *Platone*. Quid autem istud *Χαίρετε* significet, abunde explicant Apostoli in suis epistolis aliis. Equipollet enim formula alia, quæ apud eos frequentior occurrit: *Gratta vobis & pax à DEO Patre nostro & Domino Jesu Christo*, quâ utitur Paulus *I. Cor. I, 3. Galat. I, 3. Ephef. I, 2. Philipp. I, 2. Coloss. I, 2. I. Thessal. I, 1. 2. Thess. I, 2. I. Tim. I, 2. 2. Tim. I, 1. Tit. I, 4. Philem. I, 3. 2. Job. I, 3.* Per pacem autem Hebræorum more omnia prospera intelliguntur, uti optime notat Grotius. Præcipuè verò pax illa intelligenda venit, quam dare se velle promisit Salvator ipse, *Joh. XIV, 27.* diversam scilicet à pace mundi. Ista autem pax Christi includit pacem sive reconciliationem hominis cum DEO, pacem hominis cum se ipso, & pacem hominis cum proximo, e quibus posterior semper ex priore nascitur. Ex agnitione enim exhibitæ benignitatis & gratiæ DEI inique reconciliationis oritur tranquillitas mentis & conscientiæ. *Rom. V, 1.* hinc verò accedente gratiâ Spiritus S. consequitur affectuum moderatio & debitus ordo, ne turbent mentem & in diversa abripiant: & hæc ubi fuerint, facile servatur mutua hominum inter se concordia. Nam qui animum habent tranquillum & serenum, cum omnibus hominibus, quantum in se est, pacem colunt, cum bella & lites ex concupiscentiâ oriuntur, *Jacob. IV, 1.*

III. Hisce formulis, & cæ præsertim, quâ pacem precari solebant, usi deinceps fuerunt plerique Ecclesiæ Doctores. Ita Polycarpus Episcopus Smyrnenensis *in epist. ad Philippenses: Misericordia vobis & pax à DEO omnipotente & Jesu Christo Salvatore nostro abundet.* Et Ignatius, qui tamen *τὸ Χαίρετε* plerumque usurpavit, *in epist. ad Tarsenses: Misericordia & pax à DEO patre & Domino Jesu Christo.* Idemque ad Heronem Ecclesiæ Antiochena diaconum: *gratia & misericordia & pax ab omnipotente DEO & Christo Jesu Domino nostro.* Et ad Philippenses: *Misericordia & pax à DEO Patre & Domino Jesu Christo.* Pontificis

tifices Romani in decretalibus suis epistolis compendiose, salutem & apostolicam benedictionem precari solent. Apostolica, h. e. quæ Apostoli uti solebant, quia & ipsi Apostolici à suis sectatoribus appellantur. Apostolicam autem illam salutandi & bene precandi formulam etiam in publicis conventibus utebantur Ecclesiæ primitivæ Doctores, eaque suos alloquebantur auditores. Idque optimè exponit Chrysofomus homil. 3. in epist. ad Coloss. Cum ingressus fuerit is, qui præest Ecclesiæ, statim dicit: pax omnibus: quando concionatur, Pax omnibus: quando benedicit: pax omnibus. quando jubet osculari: pax omnibus. quando per altum fuerit sacrificium: pax omnibus. Et rursus intermedio: gratia vobis & pax. Et paulo ante: In Ecclesiis pacem, in precibus, in supplicationibus, in salutationibus & semel, & bis, & ter, & sæpe eam dat is, qui Ecclesiæ præest, dicens: Pax vobis &c. Idem Chrysofomus homil. contra eos, qui in primo paschate jejulant eleganter hunc ritum describit, dum ait: Nihil paci & concordia simile est. Propterea pater ingressus non prius conscendit cathedram, quam omnibus vobis precatus fuerit pacem. Et surgens non prius vos docere incipit, quam omnibus dederit pacem. Et sacerdotes benedicendi, postquam pacem prius vobis fuerint precati, ita benedictionem incipiunt. Diaconus etiam, quando cum aliis precari jubet, etiam hoc mandat in precibus, ut angelum pacis petatis, & omnia proposita ad pacem spectant. Et quando cæcum dimittit, hoc ipsum vobis precatur, dicens: abite in pace.

IV. Videtur autem benedictio ista, quæ ad populum in concione fiebat, peracta sublatis manibus, ritu in populo Israelitico usitato. Sic enim legitur Levit. 1X, 22. Aaronem extendentem manum ad populum benedixisse ei. Et Christus ipse, cum post resurrectionem apparuisset discipulis suis, sublatis manibus benedixit eis. Luc. XXIV, 50. Videtur autem elevatio manûs successisse in locum impositionis, ut ubi imponi non possent manûs singulis propter frequentiam eorum quibus benedicendum esset, extensio manuum fieret. Benedictio enim regulariter per manûs impositionem fiebat. Sic namque Patriarcha Jacob, cum filiis Joseph benediceret, manûs eis imposuit, Genes. XLVIII, 14. & Dominus in Evangelio oblati sibi parvulus per impositionem manuum benedixit. Marc. X, 16. Hunc ritum eleganter explicat, & originem ejus describit Honorius Augustodunensis lib. 1. cap. 187. Quod autem benedictio per manûs impositionem datur, inde exortum dicitur, quod Isaac Jacob manûs imposuit, dum eum benedixit, & Moyses Josue manûs imposuit, dum eum ducem præfecit, & Dominus in Evangelio Apostolis manûs imposuit, dum eos principes & sacerdotes Ecclesiæ constituit. Sed & ipsi Apostoli manûs imposuerunt, cum Spiritum S. dederunt.

V. Atque ita invaluit in Ecclesiâ ista benedicendi ritus, quem Episcopus post Dominicam Oratorem & ante communionem expedit solebat, & sibi soli vindicabat. Finita enim oratione Dominicâ Diaconus, annuente Episcopo, dicebat: Humiliate vos ad benedictionem, & populus respondebat: Deo gratias. Tum Episcopus hanc benedictionem dicebat: Benedicat vos omnipotens Dominus &c. Inde accipiens partem corporis Domini dicebat: Pax Domini sit semper vobiscum &c. Eoque pertinet, quod decretum legitur in Concilio Tolentino IV. can. 18. Nonnulli sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant, quod deinceps interdiximus; sed post orationem Dominicam & conjunctionem panis & calicis, benedictio in populum sequatur, & tunc deum corpus & sanguinis Domini sacramentum sumatur.

VI. Fuisse tamen specialem quandam & propriam Episcopo nec communem sacerdotibus reliquis benedictionem colligere licet ex Concilio Agathensis can. 44. Benedictionem super plebem in Ecclesiâ fundere aut penitentem in Ecclesiâ benedicere presbytero penitus non licebit. Fuisse tamen ante istud receptum, ut etiam presbyteri benedictionem dicerent, non tamen, nisi privatim aut in privatis ædibus, aut si omnino publicus aliquis cætus benedicendus esset, extra Urbem in parochiis rusticis id licitum fuisse patet ex Concilio Regensis can. 5. Et inter minusas has ductiones & indefinitas visum est, omni presbytero per familias per agros, per privatas domos pro desiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quod nonnulli jam provincias habere succurrat. Huic autem etiam in Ecclesiarum plebibus per loca

loca tamen magis, quam per Urbes hoc idem visum est esse tribuendum &c. Per loca hic intelligi villas & pagos ex oppositione Urbium manifestum est.

VII. Sed & in Urbibus aliquam à sacerdotibus factam fuisse benedictionem, diversam tamen ab eâ, quam Episcopo propriam dixi, colligere licet ex Concilii Agathensis *can. 47.* eum antea adducto *can. 44.* collato. Canon enim 47. ita se habet: *Missas die Dominico à secularibus totas teneri speciali ordinatione precipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non presumat. Quisifecerint, ab Episcopo publice confundantur.* Quae autem sit differentia hujus benedictionis presbyterialis ab alterâ illâ Episcopali, dicere non habeo, nisi quod presbyterialis in fine missae, Episcopalis verò illicò post Dominicam orationem data videatur. Illa recentior est distinctio, quâ aliqui formulam, *Dominus vobiscum*, ad minores Sacerdotes pertinere, alteram vero, *Pax vobis* solum spectare ad Episcopum contendunt.

VIII. Supra dixi, presbyteris privatas benedictiones relictas fuisse. Eas verò apud potentiores etiam ab Episcopis datas fuisse docet *canon 37.* Concilii Epaoensis: *Ut civis superiorum nasalium nocte Pascha ac natiuitate Domini solennitate Episcopos, nec interest in quibus civitatibus poscos, accipienda benedictionis desiderio noscerint expetendos.* Ita locum hunc antea valde corruptum restituit Jacobus Sirmondus. Invitati ergò & accessiti fuerunt Episcopi à præcipuis civibus in solenni festivitate, ut cum familiâ suâ benedictionem ab eis acciperent. Omnino enim magnam vim inesse benedictionibus semper crediderunt homines pietatis studiosi, maxime si benedictiones venirent ab illis, qui cultui divino præfæti essent. Etsi enim illi hâc potestate non pollerent, ut dare pro lubitu possent, quod maxime vellet; quia tamen DEUS ipse ordini Sacerdotali in Veteri Testamento mandavit, ut benedicerent populo; creditum hinc fuit, nec frustra, DEUM per ejusmodi benedictionem effecturum, ut prosperè cedant omnia, & ut ne careat successu, quod ita benè ominari licuit.

IX. Hinc ad eò factum, ut Christiani occurrentibus Episcopis caput submitterent, eum in finem, ut ab illis benedictionem acciperent. De Johanne Chrysostomo refert Palladius in *ejus vit.* abiturum eum in exilium valedixisse Olympiadi, Pentadiæ & Procke Diaconis & Silvinae his verbis: *Venite ô filia, audite me. Quae ad me attinent, finem ut video habent: cursum meum consummavi, & forte cultum meum non amplius videbitis. Hoc unum est quod rogo, ne quae vestrum à solita erga Ecclesiam benevolentia adellatur, & quicumque reluctanti fuerit ad ordinationem deductus, ex consensu omnium, non id ambiens, ei tanquam Johanni caput vestrum submitte.* Talem submissionem ab Eusebia Augusta fieri voluit Leontius Tripolcos Episcopus, de quo refert Suidas in *verb. λεόντιος*, quod cum omnes Episcopi Eusebiam uxorem Imperatoris Constantii adirent, eamque ex more adorarent, Leontius adduci non potuerit, ut eam inviseret, nisi ipsi venienti assurgere, & benedicturo caput submittere se velle promitteret.

X. Hunc morem submittendi caput ad accipiendam benedictionem etiam observavit Eudoxia Augusta. Hæc enim eum in publicum processisset, & ad eam fratres Longi, uti dicebantur, accessissent, ut de Theophili Episcopi Alexandrini insidiis sibi structis querelas moverent, *honora causa subsistis, & extra Imperiale seculum prospiciens capite inclinato annuit: benedicite, inquit, & orate pro Imperatore, pro me ac liberis meis, & pro Imperio,* uti est apud Sozomen *lib. 8. c. 13.* De eadem Eudoxiâ refert Marcus Gazensis diaconus apud Baronium *ad ann. CCCCL. n. 27.* postquam Theodosium enixa fuisset, accessisse ad se Porphyrium Gazæ Episcopum cum comitibus, tum temporis Constantinopoli subsistentem, & adversus Gazeos idololatrâs auxilium implorantem, eamque ab illis inclinato capite benedictionem petisse. Verba ejus hæc sunt: *Cum autem impleti essent septem dies à puerperis, nos accersit, & nobis occurrit in portâ cubiculi, portans infantem in purpurâ. Inclinauit serò caput, dicens: Benedicite, Patres, mihi & filio, quem donavit Dominus per sanctam virginem precibus: infantem quoque tradidit, ut ipsum signarent. Sancti autem Episcopi & ipsam & infantem signarunt signo crucis: & cum precati essent sederunt.*